

suas litteras, quibus præfati Tertiarii curæ et regimini ministri generalis ac superiorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia subjiuntur seu subjecti declarantur, ad Tertiarios etiam sæculares Tertii Ordinis, ut ejusdem superiori directioni, curæ et regimini pariter subiaceant, auctoritate Apostolica perpetuo extendit et ampliat.

(51. Alia ad rem addita et observanda. Vide constitutionem Clementis XII incip. *Apostolica servitutis*; constitutionem Benedicti XIV incip. *Emanavit nuper*; aliam ejusdem incip. *Ad Romanum Pontificem*; et adhuc aliam ejusdem incip. *Inexhausti Ecclesie thesauri*; et attendenda est sequens resolutio sacr. congr. Episcop. et Reg., nempe:

« In causa Narniensi juris admittendi et vestiendi tertiarios vertente inter episcopum Narniensem, illiusque promotorem fiscalem ex una, et conventum et Patres Minorum Sancti Francisci Stronconii, illorumque Patrem procuratorem generalem ex altera, partibus, propositum fuit infrascriptum dubium, videlicet:

« An liceat regularibus Observantiæ admittere Tertiarias ad habitum sine votis, irrequisito ordinario, et an illarum admissio facta irrequisito episcopo sustineatur in casu? »

Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus Episc. et Regularium præposita, referente eminentissimo D. card. Bichi Ponente, partibus auditis ac re mature discussa, ad suprascriptum dubium respondit: « Affirmative, absque tamen ulla exemptione. »

« Romæ 5 Septembris 1738. »

(52. Huic articulo sub num. 17 addendum est quod excitata controversia inter episcopum Lunen., Sarzanen., et Tertiarias ord. S. Francisci de Observantia collegialiter in conservatorio Massæ viventes sub cura ditorum Patrum: sacra congregatio Concilii die 30 Januarii 1723 respondit « conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni episcopi, citra tamen approbationem sacræ congregationis quoad dictum conservatorium. » Sic apud *Thesaurum resolutionum sacræ congregationis Concil.*, tom. II, in dict. *Lunen. Sarzanen.* Visitationis Sacrorum Liminum. (53. Nec obstat constit. Bened. XIII incip. *Paterna sedis Apostolicæ providentia* edita pro omnimoda exemptione Tertiariarum ordinis Minorum de Observantia a jurisdictione ordinariarum et parochiarum; nec alia ejusdem constit. incip. *Pretiosus* edita pro simili omnimoda exemptione Tertiariarum præclarissimi ordinis S. P. Dominici in qua § 55, ita sancivit: « Attendentes insuper per annos, ut accepimus, centum et sexaginta ab edita dicta constitutione S. Pii V, et per sæculum et ultra post decretum congregationis Episcoporum et Regularium emanatum 20 Decemb. 1626, ejusemodi Tertiarias collegialiter viventes pluribus in

locis, scientibus ac tacentibus ordinariis, floruisse, et etiam nunc florere sine clausura, declaramus, volumus et mandamus, eosdem ad neutram absolute teneri aut esse compellendas; non obstantibus contrariis ordinationibus, etiam Apostolicis, quibus expresse per præsentis derogamus. »

(54. Non obstat, inquam, dicta utraque constitutio Benedicti XIII, quia cum aliis ad favorem regularium editis ab eodem Pontifice, fuit utraque moderata et reducta ad terminos juris communis, concilii Tridentini et constitutionum Apostolicarum, a Clemente VII, tertio Kalendas Aprilis 1732, constitution. incip. *Romanus Pontifex* jam a me ad litteram adducta tom. V, verb. *Privilegium*, art. 3, num. 64, in qua sic expresse habetur: « Statuimus et decernimus, de omnibus et singulis prædictis Litteris et Constitutionibus, quæ ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus et declarationibus in iisdem contentis eam deinceps decisionem, ad iudicium etiam in foro conscientie habendum quod sive jure communi, sive ex concilio, sive ex decretis et constitutionibus Apostolicis, sive ex aliis legitime habebatur, antequam eadem litteræ et declarationes ab eodem Benedicto concessæ fuissent, perinde scilicet ac si illæ non emanassent, ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum ac terminum omnia superius enuntiata, omnino reducimus et reducta esse volumus, ita ut in posterum supradicti ordines regulares earumdem litterarum et constitutionum usu, commode et effectu penitus carere debere intelligantur. » Unde, ut vides, et recte tradit Bened. XIV, volum. V, notificat. 17, § 2, redit in pristinum jurisdictionem ordinariarum supra Tertiarias collegialiter viventes, ac si minime emanassent dictæ Benedictinæ constitutiones, eas a tali jurisdictione eximentes, qua dicta pristina jurisdictione utens ipse, seu vigilantissimus et zelantissimus archiepiscopus Bononiensis, uti sibi omnino subjectas eas libere visitavit. Vide ipsum volum. II, notificat. 9, cit. notificat. 17, § 2, ubi plurima scite et erudite suo more adducit ad rem.

(55. Sæculares Tertii Ordinis gaudent præcedentia supra quascunque laicales confraternitates. Sic expresse statuit Benedictus XIII, constitution. incip. *Ad nostram audientiam*. Et novissime Benedictus XIV, constitution. incip. *Emanavit nuper*, in qua confirmat etiam decretum sacræ congregat. Episcoporum et Regularium ad id editum. Et talis præcedentia eis competit, sive sub propria cruce, sive sub illa FF. incedant. Idem, *ibidem*. Eorum habitum esse non solum vestem totalem, sed etiam particularem, scilicet scapulare et cingulum, expresse declarat. Idem, *ibidem*. (56. Nova concessio et præfinitio indulgentiarum pro Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis sæcularis S. P. N. Francisci Assisiensis facta est novissime ab eodem Benedicto XIV, con-

stit. incip. *Ad Romanum Pontificem*. Item nova indulgentiarum concessio pro personis sæcularibus utriusque sexus tam Tertio Ord. S. P. Francisci de Paula ascriptis quam Chordigeris ejusdem Sancti Funiculum benedictum deferentibus facta est ab eodem constitut. incip. *Inexhausti*. (57. Tertiarias subjectas esse jurisdictioni parochiarum, in quorum parochiis sine clausura conviunt, censuit sacra congregat. Concil. die 26 Aprilis 1749, in *Januen.* pro Tertiariis inelyti ordinis S. P. Dominici, et confirmavit idem Bened. XIV, const. incip. *Emanavit nuper*. Quæ omnes constitutiones attendendæ nunc sunt, non attentis amplius aliis, quæ in contrarium jam in Opere his de rebus tradidimus.

(58*. Mulieribus Tertiariis non collegialiter viventibus non possunt regulares dare habitum sui ordinis sine licentia episcopi diocesani, cui debent rite probare, habere se hoc privilegium Sedis Apostolicæ, feminas illas esse moribus probatas, habere

TESTAMENTUM.

ARTICULUS I.

Testamentum quoad ejus naturam, divisionem et solemnitates ad ipsius requisitas.

SUMMARIUM.

1. Testamentum unde sit dictum. — 2. Testamentum quid sit. — 3. Nullum testamentum quantumvis privilegiatum valet sine hæredis directæ institutione. — 4. Testamentum dividitur in solemne, et non solemne seu privilegiatum, et quale sit utrumque. — 5. Testamentum solemne subdividitur in scriptum et nuncupativum. — 6. Testamentum solemne scriptum quale sit. — 7. Testamentum solemne nuncupativum quale sit. — 8. Quamvis etiam hoc testamentum soleat hodie redigi in scripturam, non cessat esse nuncupativum. — 9. Ad valorem testamenti solennis scripti præter hæredis directam institutionem, requiritur primo, ut sit in scripturam redactum, vel manu ipsius testatoris, vel manu alterius de expresso ejus mandato. — 10. Si manu alterius sit scriptum, debet ei testator propria manu subscribere coram testibus, vel octavum testem adhibere, qui nomine et loco ipsius subscribat. — 11. Si autem ipsemet testator propria manu testamentum scripserit, non requiritur amplius propria, vel alterius octavi testis subscriptio. — 12. Necrefert, an isto vel alio tempore scriptum, dictatumque sit testamentum. — 13. Nec requiritur quod testator testamentum scriptum prælegat, sed sufficit quod scripturam clausam aut convolutam exhibeat testibus dicendo in illa suum contineri testamentum. — 14. Secundo ad valorem testamenti solennis scripti requiritur, quod in illo adhibeantur septem testes idonei. — 15. Testes, ut sint ad id idonei, debent esse masculi. — 16. Item debent esse liberi et non servi. — 17. Item debent esse puberes. — 18. Testes ad id idonei non sunt furiosi, muti, surdi. — 19. Item nec cæci. — 20. Item testes ad id idonei non sunt personæ suspectæ, ut ipse hæres in testamento institutus. — 21. Item neque is, qui in potestate testatoris seu hæredis est, neque pater ejus qui eum habet in potestate, neque fratres qui in ejusdem patris potestate sunt. — 22. Cæteri consanguinei et affines testatoris, seu hæredis, necnon famuli, officiales, ministri, ac domestici ejus testes ad id esse possunt. Imo etiam fratres jam emancipati, pater in testamento filii testatoris jam emancipati, item maritus in testa-

mentum uxoris. — 23. Possunt etiam plures ex eadem domo, quamvis consanguinei, ut pater et filius, duo vel plures fratres testes esse in eodem testamento, dummodo non sint sub patria potestate testatoris. — 24. De vigore juris canonici non possunt saltem licite extra casum necessitatis testes esse in testamentis et instrumentis, aliisque contractibus laicorum, nec clerici sine licentia episcopi, nec religiosi sine facultate sui prælati. — 25. Quamvis tamen id ipsis sit illicitum, validum tamen est eorum testimonium; etiamsi sine præcitu, et licentia superiorum testes in supradictis agant. — 26. Tertio ad valorem testamenti solennis scripti requiritur, ut omnes testes ita sint præsentis, ut testatorem non tantum audire, sed et videre possint. — 27. Quarto requiritur, non solum quod testes sint præsentis, sed insuper quod ad testificandum sint rogati, seu invitati, ac moniti. — 28. Quinto requiritur, quod testator testibus, ut supra, præsentibus scripturam clausam, aut convolutam exhibeat, dicendo in illa suum contineri testamentum. — 29. Sexto requiritur, quod testamentum sic exhibitum, vel propria manu subscribat, si ipsemet totum non scripsit; vel si subscribere nequeat aut nesciat, octavum testem, qui nomine ipsius subscribat, adhibeat. — 30. Septimo requiritur, ut omnes et singuli testes nomen suum propria manu subscribant, et illud subsignent anulo seu sigillo suo, aut alieno, etiam a testatore accepto. — 31. Octavo requiritur, ut totum negotium testamenti solennis scripti peragatur uno eodemque loco, et tempore unoque contextu. — 32. Ad valorem testamenti solennis nuncupativi requiritur, quod testator coram septem testibus idoneis, ut supra, et ad id specialiter rogatis, simul uno eodemque tempore ultimam suam voluntatem, tam circa hæredis institutionem, quam circa legata pronuntiet seu alias sufficienter manifestet, ita ut intelligi possit. — 33. Unde pauciores solemnitates requiruntur ad testamentum nuncupativum quam ad scriptum. — 34. Testamentum nuncupativum et testamentum scriptum in quo inter se differant? — 35. Supradictæ solemnitates requisitæ ad valorem testamenti de jure civili, non requiruntur omnes de jure canonico. — 36. De jure canonico ad valorem testamenti sive ad causas pias sive profanas non plus requiritur, quam adint duo testes idonei et parochus. — 37. Testes requisiti de jure canonico debent esse idonei ac testes requisiti

de jure civili. — 38. Item tales testes, sicuti de jure civili, ita etiam de jure canonico, debent esse rogati. — 39. In defectu parochi proprii de jure canonico sufficit, si quatuor testes sint adhibiti. — 40. In ditionibus Romano imperio subjectis, tam in foro ecclesiastico quam laicali fieri et judicari debent testamenta secundum solemnitates de jure civili requisitas. In ditionibus autem temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis secundum solemnitates de jure canonico requisitas. — 41. Quamvis tamen gravissimi doctores teneant quod clerici etiam in terris imperii aliorumque regnorum, possint condere testamenta juxta dispositionem et formam juris canonici. — 42. Unde in praxi est attendenda consuetudo locorum. — 43. Testamentum ad causas profanas carens una vel pluribus solemnitatibus a jure positivo requisitis, nullum et invalidum est in foro externo. — 44. An autem tale testamentum sit nullum, et invalidum etiam in foro interno, seu conscientiae, tres sunt doctorum sententiae. — 45. Prima sententia tenet tale testamentum in foro interno, seu conscientiae esse validum. — 46. Afferuntur hujus sententiae fundamenta ex jure canonico. — 47. Item ex jure civili. — 48. Item ex ratione. — 49. Secunda sententia opposita tenet dictum testamentum esse invalidum etiam in foro interno seu conscientiae. — 50. Afferuntur hujus sententiae fundamenta ex pluribus legibus. — 51. Item ex ratione. — 52. Tertia sententia est media, per quam fere conciliantur inter se supradictae duae sententiae oppositae. Et docet quod dictum testamentum imperfectum, et minus solemnne non sit quidem irritum et invalidum ipso jure in foro conscientiae; at tamen possit tale declarari per sententiam judicis. — 53. Juxta hanc sententiam concludimus quod tale testamentum ad causas profanas validum est, et obligat in conscientia ante sententiam judicis; secus autem post judicis sententiam. — 54. Adducitur probatio primae partis. — 55. Adducitur probatio secundae partis. — 56. Afferuntur ad id probatio a simili variis exemplis ex jure desumptis. — 57. Adducitur ad id brevis et clara resolutio. — 58. Item adducitur alia ad id similis resolutio. — 59. Subnectuntur *Supplementa* ad n. 68.

(1. Testamentum ex eo appellatur quod testatio mentis sit. Textu expresso in principio. institut. *De testamentis ordinandis*. Et sic Communis doctorum.

(2. Testamentum est ultima nostrae voluntatis dispositio seu ordinatio cum directa haereditate institutione. Ita in re Communis, arg. leg. *Testamentum 1*, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ubi testamentum a Modesto sic delimitur: « Testamentum est voluntatis nostrae justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult. » Quae definitio, quamvis a multis ut legitima recipiatur, a pluribus tamen ob omissam particulam *cum haereditate institutione*, ut manca et imperfecta rejicitur, eo quod haereditas institutio sit de essentia testamenti. (3. Nullum enim testamentum, quantumvis privilegiatum valet vel subsistit sine haereditis directa institutione, ut tenet communissima doctorum ob textus expressos § *Ante haereditis 34*, instit. *De legatis*, ibi: « Testamenta vim ex institutione haereditis accipiunt, et ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti haereditas institutio, » § *In primis 1*, institut. *De fideicommissariis haereditatibus*, ibi: « In primis sciendum est opus esse ut aliquis recto jure testamento haeres instituat. » alioquin inutile est testamentum, in

quo nemo haeres instituatur; leg. *Proxime 3*, ff. *De his*, quae in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur, ibi: « Non potest ullum testamentum valere quod haereditatem non habet, » leg. *Quod per manus 10*, ff. *De jure codicillorum*, ibi: « Testamentum, quod vires per institutionem haereditum accipit; » leg. *Jubemus 29*, ff. *Quod si*, cod. *De testamentis*, ibi: « Quod si non fuerit observatum et nomen haereditis vel haereditum non fuerit manu testatoris scriptum, vel voce coram testibus nuncupatum, hoc testamentum stare minime patimur, » cum similibus.

* Antequam ad varias testamenti species deveniamus, non abs re erit eas primo recensere quae antiquitus obtinebant, quae licet obsoleverint, plurimum tamen conferunt, ut intelligantur ea quae nunc in testamentis observantur. De his ita Ulpianus, *Fragm.*, tit. 20, § 2: *Testamentorum genera fuerunt tria: unum quod CALATIS COMITIIS, alterum quod IN PROCINCTU, tertium quod PER AES ET LIBRAM appellatum est. Ut intelligatur quidnam esset testamentum factum CALATIS COMITIIS, praemittendum est COMITIA a COEUNDO dicta esse, et nihil aliud in se continere nisi conventum populi Romani ad suffragium de aliqua referendum. Varia eorum genera erant, nimirum curiata, centuriata et tributa. Nam Romulus Urbem ac populum in tres partes ac regiones distribuit, quas tribus vocavit, singulas autem TRIBUS in decem CURIAS divisit, adeo ut Romae triginta essent CURIAE, quibus singulis singulos praefecit curiones, et propria cuique CURIAE sacra assignavit. His CURIIS similes nunc sunt parochiae, quibus loco curionum praesunt parochi, de quibus etiam alibi disseruimus titulo *De decanis*. Harum triginta CURIARUM numerus permansit, tribuum vero numerus crevit usque ad triginta quinque; quatuor urbanae, caeterae rusticae erant; et haec quidem urbanis longe praestantiores, in quas scilicet optimi quique ac praestantissimi cives referri se ac ceteri curabant, cum urbanae opitibus, praekonibus, scribis, caeteraque turba forensi potissimum constarent. Fuit et alia populi Romani divisio ex instituto regis Servii Tullii in classes et centurias, in quas quisque pro modo census, quem professus erat, distribuebatur. Prima classis quae ditiorum erat, continebat decem et octo equitum, et triginta peditum centurias; secunda classis duas supra viginti; tertia viginti; quarta duas supra viginti; quinta triginta centurias habebat; sexta classis, quae egenorum erat pro una centuria habebatur. Erant igitur omnes centuriae centum nonaginta tres.*

Ex his intelligere est quid sint curiata comitia, quid centuriata, quid tributa; nimirum ea in quibus per singulas curias suffragium ferebatur, ut quod major pars curiarum jussisset, a populo jussum videretur, curiata comitia dicebantur. Quod si per centurias suffragium ferretur, centuriata, si per tribus, tributa comitia erant. Calata autem comitia non sunt proprium comitorum

genus, et ita initio dicta sunt omnia comitia a Graeco verbo ΚΑΛΕΙΝ, quod est vocare quasi convocata. Cum autem in usu haec vox esse desiisset, nomen calatorum comitorum his tantum comitiis remansit, quae pro collegio pontificum, et his, quae testamentorum condendorum gratia habebantur, idque religionis ejusdem et antiquitatis ratione. Haec comitia condendorum testamentorum gratia bis in anno pacis tempore habita fuisse refert Theophilus, *Instit.*, tit. *Qui testam. fac. pos.*, ibi: « Quicumque testamentum facere volebat, illud in concione populi condebat per modum legis rogando, ut quis sibi haeres esset, quae rogatio populi suffragio confirmabatur. Scilicet existimabant Romani legem ex qua haereditas ab intestato habebant, non nisi alia lege in comitiis lata tolli posse. His comitiis interveniebant Pontifices, nimirum ut sacra privata testatoris ad haereditem transirent, et ita testamenta fiebant CALATIS COMITIIS. »

Quod spectat ad testamentum IN PROCINCTU, illud in rebus trepidis cives Romani cincti, et ad bellum proficiscentes, et quasi devoti diis Manibus faciebant. Haec enim devotorum ultima voluntas pro lege erat, tacito populi suffragio rata. Hujus testamenti meminit Plutarchus in *Vita Coriolani*, ubi moris fuisse refert apud Romanos ut « milites in acie jamjam profecturi ad pugnam testamentum facerent nuncupando viva voce coram tribus aut quatuor testibus quem sibi haereditem vellent. » Extra tale periculum milites testabantur jure ordinario.

Exoleverunt autem testamenta IN PROCINCTU, ex quo bella auspicio geri desierunt, quod jam Ciceronis aeo usurpatum fuisse, ipse testatur *De natur. deor.*, lib. II, cap. 3; comitia autem condendorum testamentorum causa minus frequentari, et sensim exolevisse dudum ante debuerant, ex quo scilicet, latissima testandi facultate per legem duodecim tabularum unicuique concessa, jurisconsulti qui legis actiones componebant, varias ex lege et legis interpretatione agendi formulas et modos solennes invenerunt ipsi, et ritum testandi solemnem, cujus ope non amplius necesse haberent cives expectare tempus comitorum. Hic modus dictus est PER AES ET LIBRAM, de quo ita pergit Ulpianus: « Illis duobus testamentis abolitis hodie solum in usu est quod PER AES ET LIBRAM fit, id est per mancipationem imaginariam. In quo testamento libripens adhibetur, et familiae emptor, et non minus quam quinque testes cum quibus testamenti factio est. » Ulpian., cit. frag., tit. 20, § 2. Raro autem eum, quem quis sibi haereditem vellet, adhibebat familiae suae emptorem, sed interponebat aliquem qui his, quos sibi haereditem vellet, familiam esset remancipaturus. Sed de antiquo testamentorum jure haec attigisse sufficiat, nunc ad ea transeamus, quae jure praesertim Justiniano introducta expeditiora sunt. *

(4. Nunc videlicet testamentum dividitur in solemnne, et non solemnne seu privilegia-

tum. Testamentum solemnne est quod habet omnes solemnitates a jure requisitas quae infra assignabuntur. Testamentum non solemnne seu privilegiatum est, quod, licet careat solemnitatibus alias de jure communi requisitis, ex speciali tamen privilegio valet ac si ipsas haberet, cujusmodi est testamentum ad pias causas, testamentum parentum inter liberos conditum, testamentum militis in expeditione bellica factum, testamentum conditum tempore pestis, testamentum factum coram principe, seu ipsi oblatum, vel ad acta judicis traditum. *Communis*.

(5. Testamentum solemnne subdividitur in scriptum et nuncupativum; § *Sed haec 14*, instit. *De testamentis ordinandis*. (6. Testamentum solemnne scriptum seu in scriptis (quod etiam clausum vulgo appellatur, eo quia plerumque testator latere vult tabellionem, et testes quid in eo contineatur) est illud quod fit in scripturam redactum, scriptum et subsignatum, servata juris forma praescripta leg. *Hac consultissima 21*, cod. *De testamentis*.

(7. Testamentum solemnne nuncupativum est illud quod sine scriptura, ac etiam sine subscriptione et subsignatione testium fit, cum testator coram requisitis testibus haereditem oretenus nominat seu nuncupat, simulque declarat quid de bonis suis post mortem fieri velit; § *Sed haec 14*, instit. *De testamentis ordinandis*. (8. Hodie tamen talis nuncupatio seu declaratio ultimae voluntatis in scripturam a notario publico redigi solet; non quod ad illam requiratur scriptura tanquam forma ad substantiam actus, sed ne memoria excidat, et ut facilius probari possit voluntas testatoris, si fortasse testes interim mori vel inhabiles reddi contingeret, antequam coram iudice voluntatem defuncti declararent; quorum defectus suppletur per publicum notarii instrumentum, ut insinuatio alia apud iudicem non sit necessaria; nec per hoc cessat esse testamentum nuncupativum, quia talis scriptura non adhibetur, nec fit necessario, sed ut dictum est, adhibetur et fit solum pro commodiori et faciliiori probatione, prout in simili dicitur, leg. *In re 4*, *De fide instrument.*, ibi: « Fiunt enim de his scripturae, ut quod actum est per eas facilius probari possit, sine his autem valet quod actum est, si habeat probationem. »

(9. Ad valorem testamenti solemnis scripti, seu in scriptis (praeter haereditis directam institutionem, quae ex juribus adductis supra n. 3, necessaria est ad valorem cujuscunque testamenti quantumvis privilegiati) requiritur primo, ut sit in scripturam redactum, vel manu ipsius testatoris, vel manu alterius de expresso ejus mandato, l. *Hac consultissima 21*, cod. *De testamentis*, ibi: « Vel ipsius testatoris, vel cujuslibet manu conscriptum. » (10. Cum hoc tamen quod, si manu alterius sit scriptum, debet ei testator propria manu subscribere coram testibus, vel octavum testem adhibere, qui nomine et loco ipsius subscribat; cit. l. *Hac consultissima 21*, et l. *Cum antiquitas 28*, cod.

De test. (11. Si autem ipsemet testator manu propria testamentum scripserit, non requiritur amplius propria, vel alterius octavi testis subscriptio, text. expr. in cit. l. *Cum antiquitas* 28, § *Cum autem*, cod. *De testamentis*, ibi: « Sancimus, si quis sua manu totum testamentum, vel codicillum conscripserit, et hoc specialiter in scriptura reposuerit, quod hæc sua manu confecerit, sufficet ei totius testamenti scriptura, et non alia subscriptio requiretur, neque ab eo, neque pro eo ab alio. » (12. Nec refert, an isto vel alio tempore scriptum dictatumque sit testamentum, textu expresso in cit. l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi: « Licet alio tempore dictatum scriptumve proferatur testamentum, sufficet. » (13. Nec requiritur quod testator testamentum scriptum prælegat, vel tenorem illius manifestet, sed sufficit quod scripturam clausam aut convolutam exhibeat testibus, dicendo in illa suum contineri testamentum, cit. l. *Hac consultissima*, ibi: « Dummodo tamen testibus præsentibus testator suum esse testamentum dixerit, quod offertur. » (14. Secundo ad valorem testamenti solemnem scripti, seu in scriptis requiritur quod in illo adhibeantur septem testes idonei, l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, et l. *Hæredes* 21, § *In testamentis*, ff. *Qui testamenta facere possunt*. (15. Testes autem, ut sint ad id idonei, debent esse masculi; mulieres enim ad id non admittuntur, § *Testes autem* 6, instit. *De testamentis ordinandis*, l. *Qui testamento* 20, ff. *Qui testamenta facere possunt*. (16. Item debent esse liberi et non servi; servi enim excluduntur. Citat. leg. *Hac consultissima*; et citat. § *Testes autem*. (17. Item debent esse puberes, quia impuberes ad id inhabiles declarantur. Cit. § *Testes autem*, et cit. l. *Hac consultissima*. (18. Item testes, ut sint idonei, non debent esse furiosi, neque muti, nec surdi, omnes enim isti excluduntur. Cit. § *Testes autem* 6, instit. *De testamentis ordinandis*. (19. Ad quos reducuntur etiam cæci, ex eo quod testamentum videre non possunt, quod tamen requiritur. Arg. l. *Si non speciali* 9, cod. *De testamentis*. (20. Item debent esse testes extra omnem suspicionem; unde testis esse non potest in testamento ipse hæres institutus. L. *Qui testamento* 20, ff. *Qui testamenta facere possunt*, § *Sed neque hæres*, instit. *De testam. ordinand.* (21. Neque is qui in potestate testatoris seu hæredis est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt. § *In testibus* 9, et cit. § *Sed neque hæres* 10, instit. *De testam. ordinand.*

(22. Cæteri autem consanguinei et affines testatoris seu hæredis, necnon famuli, officiales, ministri ac domestici ejus testes ad id esse possunt, imo etiam fratres jam emancipati, et pater in testamento filii testatoris jam emancipati; item maritus in testamento uxoris; in istis enim omnibus cessat ratio legis, vinculum scilicet unitatis ex patria potestate proveniens. Nec obstat

cit. § *In testibus* 9, instit. *De testam. ordinandis*, ubi ad id excluditur testimonium domesticum, et cit. § *Neque hæres* 10, instit. eod., ubi declaratur inhabilis is, qui in potestate ejus (id est hæredis) est; quia uterque textus intelligendus est de iis, quos vinculum patriæ potestatis unit cum hærede vel testatore, ita ut qui sub hæredis vel testatoris patriæ potestate est, filius videlicet, et qui hac ratione domesticus reperitur, testis esse non possit, ut communiter interpretantur doctores.

(23. Possunt etiam plures ex eadem domo, quamvis consanguinei, ut pater et filius, duo vel plures fratres, testes esse in eodem testamento; dummodo non sint sub patria potestate testatoris. L. *Ad testium* 22, ff. *Qui testamenta facere possunt*, et § *Pater* 8, instit. *De testam. ordin. can. Si testes* 3, caus. 4, qu. 2.

(24. De rigore juris canonici non possunt saltem licite extra casum necessitatis clerici sine licentia episcopi et religiosi, seu monachi sine prælati sui facultate et consensu testes esse, seu testimonium ferre in testamentis seu instrumentis sæcularium conficiendis, aliisque causis, sive contractibus civilibus locorum. Glossa in authentic. *De monachis*, § *Cogitandum*, vers. *Testes collation.* 1, juncta Glossa Marginal., *ibidem*, Abbas, in cap. *Cum nuntius*, n. 3, *De testibus*; Farinacius, qu. 61, *De testibus* n. 64, et plurimi alii per textum in can. *Quamquam* 2, caus. 14, qu. 2, ubi in synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II, cap. 13, sic statutum legitur: « Quamquam sacerdotum testimonium credibilium habeatur, tamen ipsis in sæcularibus negotiis pro testimonio aut in conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non convenit: si autem eventum aliquo causæ interfuerint, et aliquid viderint vel audierint, ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniantur personæ, ne veritas occultetur, aut malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii episcopi sit, ut, aut coram se et competentibus iudicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant; » et in Summario expresse dicitur: « In conficiendis instrumentis sacerdotes ad testimonium non vocentur; » tum quia clerici subsunt suo episcopo, et strictius religiosi seu monachi suo prælato regulari, cum sub ejus omnimoda obedientia sint positi, nec habeant velle nec nolle, cap. *Si religiosus* 27, *De election.*, in 6, cap. *Religiosus* 2, *De testam.*, in 6, cap. *Religiosi* 5, *De sepulturis*, in 6; ergo hoc ipso non possunt esse testes sine licentia ejus, cui subsunt; arg. can. *Monachi vagantes* 33, et can. *Monachi a monasterio* 34, caus. 16, qu. 1, cum similibus; tum etiam quia clericis vel monachis, seu religiosis illicitum est negotiis sæcularibus se immiscere. Tot. tit. *Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, juncto illo Apostoli II ad *Timoth.* cap. II, ibi: *Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus*; et quod clericus absque licentia episcopi non possit testimonium ferre etiam in causa civili co-

ram iudice laico, expresse declaravit sacra congreg. Immun., in *Aquilana* 5 Maii 1637, lib. III *Decr.* Paul., pag. 30, apud Riccium, in *Synopsi*, verb. *Testis*, n. 1, et sæpe sæpius alibi: et hoc a fortiori dicendum est de religioso seu monacho sine licentia sui prælati per supra adducta; in casibus enim, in quibus necessarium est eorum testimonium, solet a sacra congregat. concedi facultas episcopo loci eos examinandi, sicuti alios exemptos, ut videre est apud d. Riccium in *Synopsi*, verb. *Facultas examinandi ecclesiasticos et exemptos*.

(25. Quamvis tamen de rigore juris canonici id sit illicitum clericis et religiosi, nihilominus validum est eorum testimonium, etiamsi sine licentia et præscitu superiorum testes in supradictis agant. Abbas, in cap. *Cum nuntius*, n. 3 et 4, et Felinus, *ibid.*, n. 3, *De testibus*; Mascardus, *De probationib.* conclus. 260, n. 12 et 13; Farinacius, *De testibus*, quæst. 61, n. 84 et 134, allegans plures alios; Reiffenstuel, lib. III, tit. 26, n. 13; Pirrhing, *ibidem*, n. 3; Lezana, tom. I, cap. 9, n. 13, et tom. IV, verb. *Testis regularis*, n. 1, testans ex notario sic decisum fuisse a sacr. congreg., et alii passim. Et ratio est, quia licentia superioris est quoddam accidentale, non autem de substantia actus testimonii, argum. cap. 1 *De testibus*; tum quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, cap. *Ad Apostolicam* 16, *De regularibus*; tum etiam quia nullibi reperitur tale testimonium a jure declarari irritum ac invalidum; imo, ut experientia docet, solent clerici sæculares passim in testamentis, aliisque contractibus laicorum ex generali consuetudine in testes adhiberi etiam sine alia licentia superioris ecclesiastici, prout observant Farinacius, *loc. cit.*, n. 64; Azorius, consil. 590, n. 20; Pirrhing, lib. II *Decret.*, tit. 20, n. 60; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 184, et alii. Quinimo etiam religiosi non semel sine alia suorum superiorum expressa licentia in testes assumuntur pro conficiendis testamentis, præsertim in eorum conventibus, ad quos testatores pro majori celeratione in dies accedunt: nec desunt auctores dicentes citatum canonem *Quamquam* 2, caus. 24, qu. 2, procedere potius de honestate quam de necessitate, prout videtur innuere ly *Eos in talibus rebus esse non convenit*. Vel non ipsum canonem esse usu receptum. Vel si receptus, denuo fuisse per contrariam consuetudinem abrogatum. Consultius tamen et tutius est, ut monent supra citati doctores et alii passim, ad effugiendas omnes dubietates, superiorum ad id petere et obtinere facultatem; nam quod possit impugnari testamentum, in quo religiosus absque sui superioris licentia est testis eo quod pro mortuo habeatur, tradit Joan. Faber, § *Testes*, n. 3, instit. *De testamentis*, junctis nonnullis aliis, quos in oppositum citat Mascard., *De prob.*, conclus. 260, n. 1 et 2.

(26. Tertio ad valorem testamenti solemnem scripti seu in scriptis, requiritur ut om-

nes testes ita sint præsentibus, ut testatorem, non tantum audire, sed et videre possint. *Communis*, arg. l. *Si non speciali* 9, cod. *De testamentis*, ibi: « Si testes non in conspectu testatoris testium officio functi sunt, nullo jure testamentum valet. »

(27. Quarto requiritur non solum quod testes sint præsentibus, sed insuper quod ad testificandum sint rogati seu invitati ac moniti. L. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi: « Rogatis testibus. »

(28. Quinto requiritur quod testator, testibus, ut supra, præsentibus, scripturam clausam aut convolutam exhibeat; dicendo in illa suum contineri testamentum, l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi: « Dummodo testibus præsentibus testator suum esse testamentum dixerit quod offertur. »

(29. Sexto requiritur quod testamentum sic exhibitum, vel propria manu subscribat, si ipsemet totum non scripsit, vel si subscribere nequeat, aut nesciat, octavum testem, qui nomine ipsius subscribat, adhibeat. Cit. l. *Hac consultissima* 21, et l. *Cum antiquitas* 28, cod. *De testamentis*.

(30. Septimo requiritur ut omnes et singuli testes nomen suum propria manu subscribant, et illud subsignent annulo seu sigillo suo aut alieno, etiam a testatore accepto. § *Sed cum* 3, et § *Possunt* 5, instit. *De testamentis ordinandis*, l. *Ad testium* 22, § 4, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Singulos testes* 30, ff. eod., l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*.

(31. Octavo requiritur ut totum negotium testamenti solemnem scripti peragatur uno eodemque loco et tempore, unoque contextu, id est nullo actu alieno sive extraneo (qui ad testamenti factionem non pertinet) interveniente, nisi ad modicum intervallum ex necessitate, interruptio aliqua facta sit, quæ in tali casu non obest; § *Sed cum* 3, instit. *De testamentis ordinandis*, ibi: « Constitutum est ut uno eodemque tempore septem testibus adhibitis, et subscriptione testium signacula testamenti apponerentur. » Et concordant lex *Hæres* 21, § final., ff. *Qui testamenta facere possunt*, lex *Hac consultissima* 21, et l. *Cum antiquitas* 28, cod. *De testamentis*.

(32. Ad valorem testamenti solemnem nuncupativi requiritur, quod testator coram septem testibus idoneis, ut supra, et ad id specialiter rogatis, simul uno eodemque tempore ultimam contrariam suam voluntatem, tam circa hæredis institutionem quam circa legatum palam pronuntiet, seu alias sufficienter manifestet, ita ut intelligi possit. *Communis*, per textus expressos in § *Sed hæc* 14, instit. *De testamentis ordinandis*, ibi: « Si quis autem sine scriptis voluerit ordinare jure civili testamentum, septem testibus adhibitis, et sua voluntate coram eis nuncupata sciat hoc perfectissimum testamentum jure civili, firmumque constitutum. » Authentic. *Hoc inter*, § 2, cod. *De testamentis*, ibi: « Per nuncupationem quoque, hoc est, sine scriptura, testamentum non